



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrge. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XXXII. De translatione B. VValpurgis in Eystett, & fundatione
Monasterij ibidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

autem sanctissima VValpurgis Virgo iuxta S. VVunnebaldum Ecclesiasticæ sepulturæ commendata, per B. VVillibaldum Præfulem fratrem suum, vt vicinitas sepulturæ germanitatem generis, & parilitatem sanctitatis demonstraret.

Sepulta est iuxta sanctum VVunnebaldum.

CAPVT XXXII.

De translatione B. VValpurgis in Eystett, & fundatione Monasterij ibidem.

D Rocessu verò longi temporis, postquam B. Præsul VVillibaldus de hoc mundo nequam migrauerat, in polorum regno cœtibus Angelorum admixtus, reuelatione diuina cuidam Eystettenfium Episcopo, nomine* Herperto, monstratum est, vt Beatam, Deo placitam & hominibus gratam, Venerabilem VValpurgam Virginem, de loco humili, in quo inhumata fuerat, ad locum excellentiorem magis, ac reuerentialem transferre deberet. Igitur Deus omnipotens Ecclesiæ Eystettensi, ac saluti totius populi eiusdem ciuitatis, nec non

** Non sub Herperto, sed sub Otkario Episcopo translata est S. VValpurgis Eichstadii. de quo vide Catalogum in Otkario.*

non circumiacentis regionis prospicere, imo misericorditer providere decernens, sepe dictam, benedictam, ac semper benedicendam cum multa gloria & honore, ac miraculorum innumerabilium ostensione, ad ciuitatem Eystettensem per dictum eiusdem ciuitatis Episcopum transferri voluit; vt locum nostræ sedis, aggregatione sanctorum, videlicet B. VVillibaldi; ac beatę VValpurgis sororis eius germanæ corporali præsentia, tantarū diuitiarum thesauris, in gratiarum vbertate ditaret, & ditando sublimaret, & sublimando cunctis honorabilem demonstraret.

Peracta autem translatione, prout Venerabili Episcopo in visione præmonstratum fuerat, idem Episcopus cooperante sibi quodam Comite, nomine Leutgero, Cœ-

*Heribertus Episcopus condit
cœnobium sanctę
VValpurgis
Eystadij.*

nobium in monte eiusdem ciuitatis instaurauit; quod bonis possessionibus, prout decebat, vterque dotauit; ac sanctimoniales secundum institutionem B. Benedicti Deo famulantes inibi collocauit: sanctum quoque corpus gloriosæ VValpurgæ Virginis

P in

Lipsana sanctæ
VValpurgis in
altari condū-
tur.

in altari publico eiusdem Monasterij cau-
tè ac reuerenter præfatus Antistes recondi-
dit: vbi miracula vsq; in hodiernum diem
continuata feliciter crebrescunt. Nam de
membris eius virgineis, maxime tamen pe-
ctoralibus, sacrum emanat oleum. quod
gratia Dei, & intercessione B. VValpurgæ
Virginis cæcos illuminat, surdos audire fa-
cit, & gressum claudis reddit, cunctisq; de-
bilibus optatum effectum deuotè petenti-
bus misericorditer indulget.

Ex quibus fluit
oleum.

CAPVT XXXIII.

*De sanitate, quam in se miraculosè exper-
tus est Dn. Philippus Episcopus
Eystettensis.*

Hanc etiam gratiam curationis ipsi
experti sumus. Nam graui infirmita-
te ægrotâtes ad excidium vitæ peruenimus;
& rememorantes gratiam, quam B. VValp-
urga suis dilectoribus indefinenter osten-
dit, præcepimus de oleo sacro sanctæ suæ
emanationis nobis copiosius afferri, & de-
sidera.

Philippus ager
bibit oleum
VValpurgis.